

**2000-02-12- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Angelo Cardinali Sodano'**

LETTERA DEL SANTO PADRE GIOVANNI PAOLO II AL LEGATO PONTIFICIO ALLE  
CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DELL'ARCIDIOCESI DI GNIEZNO, POLONIA (12 MARZO 2000)

Venerabili Fratri Nostro ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO Secretario Status

Magnum anni MM Iubilaeum singulare momentum praebet Poloniae Christifidelibus et, peculiari quidem ratione, illis qui Gnesnensem constituunt ecclesiam communitatem quos sane singulari gaudio replet. Dum enim una cum toto Ecclesiae grege alterum celebrant millennium a Redemptoris ortu, millesimam recolunt anniversariam memoriam erectionis archidioecesis, nec non congressionis synodi Gnesnensis. In dilecta Poloniae terra metropolitana illa ecclesia clare eminet ob eximiam memoriam in historia christianae religionis atque stat Polonorum nationis monumentum ob studiosam pastorum fideliumque navitatem qui firmam fidem et cum Evangelio artam iunctionem saeculorum per decursum sunt testati.

Quia vero, sicut accepimus, ad millennium memoratae archidioecesis commemorandum, sollemnes Gnesnae agentur ritus die XII proximi mensis Martii, Venerabilis Frater Henricus Iosephus Muszy•ski, Archiepiscopus Metropolita Gnesnensis, poposcit ut ad personam Nostram illic gerendam sacer Praesul constitueretur, qui Nomine Nostro praeesset celebritatibus tanto eventui convenientibus.

Ad Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui primus es cotidiana operositatis Nostrae adiutor, Nostram admovemus cogitationem Nostrumque animum, atque harum Litterarum vi Te designamus Legatum Nostrum, mandatis Tibi factis, ut memorato die sacris Gnesnae celebritatibus praesidis nomine Nostro utque, animi Nostri sensibus fidelibus illic humaniter renuntiatis, de Christi salvifica opera loquaris deque Eius admirabili sollicitudine erga cunctum Poloniae populum. Omnes hortaberis ut spiritalem vitam renouent atque testimonium fidei, sancto Adalberto intercedente, usque reddant.

Dum per Te consalutamus Venerabilem Fratrem Henricum Iosephum Muszy•ski, quem diximus, omnes sacrorum Antistites, Honorabiles Viros Praesides Nationum illic adfuturos, universum clerum ac Poloniae dilectos Christifideles, vota facimus ut illi, redintegris viribus, in opus novae evangelizationis diligenter incumbant.

Caritate Nostra Te prosequimur, Venerabilis Frater Noster, eiusmodi magni ponderis munus exsequentem, dum peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus Tibi iisque universis qui memorato die Gnesnae aderunt tecumque orabunt.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Februarii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.